DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYSTERIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

ISAACUS CHANLER
AMERICANUS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO HONORANDO

GULIELMO BULL, M. D.

ARMIGERO,

CAROLINAE MERIDIONALIS PROPRAETORI,

LITERARUM ET ARTIUM OMNIGENARUM

PERITISSIMO,

HUMANITATE, ET ANIMI OPTIMA QUAQUE

DOTE CONSPICUO,

IN PATRIAM ET CIVES SUOS

AMORE SPECTABILI,

DOCTARUM ARTIUM

DECORI ET PRAESIDIO:

NEC NON,

NEC NON,

JOANNI MURRAY, M. D.

ARMIGERO;

CAROLOPOLI IN CAROLINA MERIDIONALI

MEDICO PERITISSIMO,

OB EGREGIAM IN SE VOLUNTATEM

ET AMOREM EXIMIUM

QUO SE A PUERILIBUS ANNIS

AD HUNC DIEM PROSECUTUS EST,

ET MAGNAM IN REGENDIS STUDIIS

CURAM ADHIBITAM;

QUAE OMNIA PIETATIS OFFICIA,

NEUTIQUAM MEMORI ET GRATO ANIMO

ELAPSURA SUNT:

NEC NON,

NEC NON,

THOMÆ YOUNG, M. D.

REI OBSTETRICÆ IN ALMA ACADEMIA

EDINENSI PROFESSORI CELEBERRIMO,

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINENSIS SOCIO,

OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA,

ET PRÆCLARA IN STUDIIS JUVANDIS MONITA

DENIQUE,

VIRO EGREGIO

THOMÆ SHUBRICK,

ARMIGERO,

CAROLOPOLI IN CAROLINA MERIDIONALI,

OB MORUM PROBITATEM ATQUE BENEVOLENTIAM

QUA SE SAEPENUMERO COMPLEXUS EST,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT

ISAACUS CHANLER.

DISPUTATIO MEDICA

DE

HYSTERIA.

OMNIA nomina, quot quot ab antiquiſſimis ſaeculis, et ipſa medicinae origine, ad praeſens tempus, hyſteriae, ſicut et id ipſum, impoſita ſunt, a falſis de morbi natura opinionibus tracta, minime ei conveniunt; quippe univerſi fere ſcriptores, cum in utero ſitum crederent, ita inde adſcitum nomen; alii, ut Graeci, Ὄνικος ὑστερικῆς, aut Ἄπνοιας τῆς ὑστέρης: alii Latine reddentes uteri praefocationis, ſuffocationis, aut etiam adſcenſus; alii mali hyſterici impoſuerunt; alii affectionis ſeu paſſionis uterinae incertius vocabulum uſurparunt; alii in frigore quodam morbum conſtituentes, perfrigerationem flatuoſam aut ſyn

copen frigidam, morbum nominaverunt. Nos, ob rationes poſtea apparituras, reliqua rejecturi, *hyſteria* vocabulum, cum ob aptioris inveniendi difficultatem, tum plerorumque medicorum conſuetudini morem gerentes, retinere ac nil novare decrevimus.

Hiſtoria rerum morbo antecedentium, et primum ei opportunarum naturarum.

Hysteriae prae reliquis implicantur, quibus ſumma cutis laevis et mollis eſt quam ſanguinis rubor facile traluceat; qui ſanguineum, mollem, et laxum habitum, ſed pleniorem et nitidiorem habent; quorum capilli molles, et teneri pallent aut ſubrubent; item qui ſumma corporis, ſicut et animi mobilitate ſunt, ut in diverſos animi adfectus, amorem, odium, gaudium, dolorem, clementiam, et iram, leviſſimo quoque momento huc illuc impellantur; ardentes in cupiditatibus, morae impatientes, et in omni impetu tanto vehementiores, quanto breviores, eſſe conſueti; porro, pubere fere omnes, plerique et aetate jam vigentes; provectiores vix ulli, niſi rerum morbum

bum excitantium forte vi offenſi; praeterea, ſub calidis coelis aut calidis anni temporibus verſati; poſtremo, viri rariſſimi, ſaepiſſime mulieres; et ex his ipſis prae reliquis ſteriles, ſive virorum expertes, ſeu hos, ſed ſine prole, expertae. Cum igitur mulieres praecipue in hunc morbum incidant; ergo, in futura oratione, feminino genere ita utemur, ne tamen credas nos viros quoque illo implicari ideo eſſe oblitos.

Hae omnes naturae et habitus, et praeterea quaedam naturae ſorte naſcendi, quaſi jure hereditario, hyſteriae opportunae ſunt.

Hiſtoria rerum ita morbo antecedentium, ut in naturis ei opportunis eum vel ab initio excitent, vel poſtea reducant.

E rebus, quae morbo opportunos in eum impellunt, primae et maxime potentes ſunt naturarum modo expoſitarum quaedam effecta per occaſionem excitata: Qualia ſunt animi ſubitae et graves perturbationes; praecipue cum tumultu quodam plures inter ſe aeſtuantes. Harum in numero ſunt amor, ira, et odium inter ſe fluctuantes. Quorum effectum,

tum, Poeta, naturae peritiſſimus, in fictae Didus perſona ab amatore deſertae his verſibus cecinit:

——— *Suſcipiunt famulae, collapſaque membra*
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.

Quin et ſubitum poſt luctum gaudium, hyſteriam aut ſimilem morbum, quandoque ad necem ſatis efficacem, trahere poteſt. Quales in rerum geſtarum nonnullas, in medicinae annalibus, hiſtorias multas, reperias. Denique, tanta eſt iſtorum motuum, ubi multum praeter ſolitum vehementes et repentini ſunt, tamque valida potentia, ut vel maxime contrarias hyſteriae naturas in eam conjiciant. Ipſe, irae et amoris alternans certamen ſic hyſteriam feciſſe, ab amico qui ei conſcius fuerat, nuper claro exemplo certior factus ſum. Mulier quaedam xxv annos nata, nupta, mater, gravida, ea natura quam melancholicam cholericam dicas, nigris capillis, cute aſperiore ſubfuſca, genis ſubrubris, reliquo vultu non candido, taciturna, irae paulo impotentior; quae circa decimum octavum aetatis annum per totos menſes, quia

res

res quaedam pecunioſae parum ad ſententiam procedebant, aſſidue moeſta, atrae bili ſuccubuerat; nunc cum marito rixari, et iram ejus viciſſim gravibus affectibus, ſed nullo valetudinis detrimento, perferre conſueta; cum uno die eum uſque adeo irritaſſet, ut vas coctile quod forte in manu erat in pavimentum alliſum furoris impetu frangeret, et alia, quae talis animi ardor amat, indignabundus, et mentis inops, patraret; graviter commota, primum ſilere, obſtupere, palleſcere, mox vultu rubeſcere, varium ſenſuum aeſtum neque premere neque promere poſſe, tum lachrymis obortis flere, priſtinam viri lenitatem recordari, deſiderare, concordiae conjugalis foedus toties ſua magis culpa ruptum reputare; ſe tamen an illum magis damnaret, incerta eſſe, haerere, magnum viri adverſus ſe amorem in odium verti aut foede pollui dolere; denique quod homo ſibi redditus nullis queis conſueverat blanditiis aegram leniret furiis accendi: Poſtremo, cum his diſcordis animi turbis dimidiam horam conluctata in hyſteriam tandem incidit.

Altera cauſarum morbum excitantium prigo ſunt, quaedam res ſentiendi organa impellentes,

pellentes, et prae caeteris proprii quidam odores*. Quin et ipsa vis odorum nocet, ut rosarum et similium. Item soni quidam, praecipue quales dentes collidunt, aliique singulares; postremo, ipsa lux, praesertim si clarior paulo oculos praestrinxit, hysteriam saepe creant.

Novissime eam inferunt omnes corporis status subitae mutationes. Quarum evidentiores sunt post plenum habitum subita attenuatio aut resolutio, et contraria quae sunt. Itaque quaelibet, quibus menstruorum ordo justus fuerit, si ea immodice et subito profunduntur; puerpurae in magno lochiorum profluvio, et quas nimia per occasionem aliquam sanguinis detractio exhausit: E contrario, menstruorum retentionem patientes, aut forsitan quibus alvus subito compressa, aut perspiratio impedita est, hystericis affectibus omnes corripiuntur. Ad supra relatas causas veneris inopia aut nimia copia referenda est.

Infinitum foret omnes causas quot scriptores numeraverunt, et inutile comprehendere. Cum alii parum hysteriam inter et hypochondriasin prorsus diversa, ut postmodo

* Cull. praelect. clin. de hyst. 1766.

do oſtendam, mala diſtinguentes, alii de ſede aut morbi natura falſo judicantes, alii rariſſimam quamque ſpeciem aut paucis contingentem cum magis communibus nec ullo diſcrimine commiſcentes, alii auctoritatibus incertis pro certis credentes; undique coacervatam poteſtatum nocentium farraginem hyſteriae inſeruerint.

Hiſtoria Morbi.

Ubi acceſſio magis repentina eſt, haec fere ordine quodam adparent. In imo ventre, in alterutro fere hypogaſtrio, quaſi globus quidam cum evidenti ibidem inflatione aut diſtentione ultro et citro aliquamdiu volvi ſentitur. Idem mox ad ventriculum cum inflatione et quandoque vomitu aſcendere; tum per ſtomachum ad gulam profectus illic ſubſiſtere, et, maſſae durioris inſtar, adeo ſpiritum impedire, et nihil devorari ſinere, ut etiam ſtrangulaturus videatur. Qui curſus, quamvis internus, ubi diligentius animadvertitur, ab alterutra coli curvatura incipere, et per inteſtina tenuia, per ventriculum, perque

ſtomachum

ſtomachum ad gulam continuatus, ibi terminari adparet. Et quo tempore haec fiunt, tum interiora, tum exteriora abdominis, varie cum dolore vario laeduntur; ejuſdem muſculi convelluntur; loca circa umbilicum ſaepe introrſum retrahuntur. Atque is ipſe ſaepe adeo ſubſidit, ut reconditus magnum cavum efformet. Alvi ſphincter ſaepe ita adſtringitur, ut neque flatui intus concluſo, neque fiſtulae qua liquores immittantur, introitus ullus detur. Inteſtina obmurmurant; ſingultus frequens ſubeſt; circa praecordia tractus tanquam opprimuntur; cordis ſcrobiculus adſtrictus quaſi et coarctatus; item totum epigaſtrion veluti magna vi diſtentum percipiuntur; cor tremulum palpitat; arteriarum percuſſus inaequales, duri, parvi, interciſi, aliquando reperiuntur; algent extrema; ſpiritus difficilis, anxius, anguſtus, nonnunquam per brevem moram ſupprimitur; et interdum tuſſis ſicca convulſiva accidit. Tandem, ubi ad ſuperiora et caput horrenda mali vis pervenit, illa omnia multum exalperantur. Spiritus et cordis ictus mirum in modum debilitantur; ille brevis, exilis, rarus, extreme laborioſus, aliquando prope omnino quieſcit; hi parvi, obſcuri,

ſcuri, tenues, tardi, aliquando intermittuntur. Iidem aliis cum rubore vultus vehementes comperiuntur; aliis vultus liveſcit et tumeſcit; vox deficit, oculi caligant, ſenſus reliqui hebetantur. Aliquando ea mali ſaevientis vis eſt, ut et capitis et artuum convulſiones excitentur, pollices modo arcte flectantur, modo extenti immobiles rigeſcant; ſine voluntate artus alternatim nunc protendantur, nunc reflectantur. Eſt ubi riſus immodici et immanes cachinni tolluntur. Dolores interdum fixi, interdum per muſculos paſſim vagantes, exoriuntur. Quin et totum corpus iis motibus concitatur, quos praevalens robore vix nequeat componere. Quorum omnium malorum finis pleriſque ſomnus fit profundus.

Ubi vero tardior incipit et paulatim magis acceſſio, haec fere praecedunt: Corpus et animus laſſa et languida cum omnium rerum taedio torpeſcunt: Labant vires, mens incerta ſtupet, aut vario aeſtu fluctuat; animus meticuloſus, triſtis, dolore preſſus, frangitur; lachrymae profunduntur; viſus hebetatur. Vultus aliis palleſcit, aliis rubeſcit, aliis cum rubore pallor alternis vicibus inter ſe commutantur. Subitus horroris et frigoris ſenſus,

aliis ac deinde aliis locis oberrans, repentino frontis, temporum, lumborum, et artuum extremorum calore, excipitur. Et, hujus ante adventum, illud, praecipue in lumbis, tantum ſaepe reperitur, ut nulla arte, nullo veſtium onere, ii incaleſcant. Dolores ſupra memoratis conſimiles incidunt, ſed tergo praecipue, aut alicui capitis parti inhaerent: Urina, limpidae aquae inſtar, effertur; quam reddendi ingens eſt cupiditas. Jamque globus ante relatus, cum iis quae ejus curſum comitari dicta ſunt, ſaepe apparet. Saepe etiam alia deſunt, alia ſuperadduntur, aliorum ordo et vehementia mutatur. Atque hic quoque malorum concurſus haud infrequens reperitur, et ad certam naturam poſtea memorandam magis pertinere videtur.

Porro, manente adhuc acceſſione, aliae, mente imminuta, cum incongruo et abſono ſermone, ridiculis modis geſtiunt, et nunc ſaltant, nunc tremunt, nunc circum rotatae in gyrum ſeſe implicant, et membra mille modis diſtorquent. Quae ipſa ita fiunt, ut alias ſenſu non prorſus deleto, poſt acceſſionem, eorum quae hac manente facta ſint ſubeat memoria; aliae, deleta omni tantorum malorum conſcientia, nihil recordentur. Contra,

tra, nonnullae diris modis convulsae subito, quasi fulminis ictu, concidunt, et ad se redeuntes, quid sibi contigerit, aut aliquid contigisse, prorsus ignorant.

Omnibus per accessionem fere pars aliqua capitis, his frons, illis tempora, pleriſque occiput, dolet: Multis punctum aut particula capitis dolore acutissimo, quasi clavo percussu mallei descendente, cruciatur. Interdum varia rerum simulacra, modo splendentia, modo caliginosa, aut muscarum imagines, meatu rotatorio, vario, volucri, undique oculis obvolitant. Iidem quibusdam visu terribiles circumvolvuntur, aut adeo arcte clauduntur, ut vix ulla vi iterum recludi possint. Simul horrendae voces tolluntur, et, tanquam dolor subesset, aegra manu pectus subinde percutit. Sunt quibus animus corpore magis laborat, formidine vana luditur, imaginibus fictis nunc terretur, mox jucundis laetatur; diversisque affectibus, ira, odio, dolore, amore, gaudio, laetitia, item spe et desperatione, per celeres vices, turbatur; jam miseram sortem multis lachrymis et vagitu infantili plorant; jam temporis puncto flexae, nec ulla causa interposita, immodice rident, cachinnos tollunt, et in omnem hilaritatis ineptae speciem eunt. Supra dictis addendum est, circa

accessionis

acceſſionis finem, nonnunquam humorem tenuem quendam ex naturalibus effluere.

Postremo, alienae notae ſupra expoſitos hujus concurſus varie diſtinguunt, prout vel alios is morbus ſecutus ſit, vel in alios jam tranſeat, vel aliis naturis aliaſve poſt poteſtates nocentes inciderit. Itaque nonnullis, ut in epilepſia fit, os ſpumeſcit, et dentes ſtridunt; aliae, et praecipue convulſionibus ſaepius repetentibus diutius aſſuetae, nunc toto, nunc dimidio corpore, nunc ſolis extremis, nunc certa aliqua parte, ſenſum et motum perdunt, et, qualia paralyticis uſu veniunt, alia patiuntur. Aliae catalepticorum more afficiuntur; aliae ſubito magis correptae, apoplecticorum ritu in coma, aut, fracto repente robore, in animae defectionem vel ſyncopen implicitatae, corde tremente, frigeſcentibus extremis, proſternuntur; atque ſic, exanimorum inſtar, omnes aliquamdiu, paucae unum aut alterum diem, vel etiam diutius, immotae et rigentes jacent. Neque defuerunt quae conclamatae, tumulo deſtinatae, elatae, immo etiam ſepultae, iterum tamen ſeu in vitam reſurrexerint. Alias, dolores colici, bilioſi, aut iliacorum aemuli, vomitus vehemens et ſumma vomendi cupiditas; alias, fuſa alvus,

deſidendi

desidendi frustra desiderium, et cholera in icterum aliquando desinens, exercent; alias, accessionis circa initium, assidua meiendi sed frustra quoque voluntas, consimiles calculosis dolores, urina suppressa aut exigua et cum ardore stillans, colore etiam et rerum quae subsidunt ratione et specie, variis morbi formis et temporibus, varia, male habent.

Quin et anceps magis morbi facies est, ubi tussis convulsiva, diuturna, certis circuitibus repetens, aut asthma spasmodicum, praecipue et cum paucioribus hysteriae notis, se ostendunt; aut, ut in aliis incidit, ubi praeter angustias et circa praecordia anxietates, cordis palpitationes, animae defectiones, nullum hysteriae egregium signum cernitur.

Neque affectuum gravitate, ordine, specie, et forma, accessiones magis quam diuturnitate et frequentia variant; quarum pleraeque et maxime communes, paucis minutis, nonnullae paucis horis, finiuntur. Aliae, sed obscurius, totos dies perdurant. Eaedem plerumque incertis intervallis, post longum tempus, interdum prope indies, interdum etiam saepius die, repetunt.

Post

Post acceſſionem, univerſa iſta mala brevi fere fugiunt; et, excepto quod nonnullae capitis cum dolore quodam gravitatem, animi et corporis languorem, et extremorum nonnullam pigritiam, conqueruntur, quae ipſae moleſtiae propediem quoque ſolvuntur, abſolutae ſanitatis intervalla pleraeque experiuntur.

Morbi Diſcrimina.

Exacta hyſteriae cauſarum et affectuum omnium hiſtoria; ecquibus inde acceptis notis, iſta, ut Hoffmannus ait, malorum cohors, numero, gravitate, ſpecie, ſede, alios ac deinde alios morbos varie referens, ab iiſdem diſtinguatur, inquiram.

Hysteriam ab hypochondriaſi haud obſcuris notis, ſcillicet gutturis, intercepto ſpiritu, prope ſtrangulatione, animae defectione, vocis defectu aut ſuppreſſione*, antiqui diſcreverunt.

Recen-

* Vid Dioclis hypochondriaſis a Galleno relatam diagnoſin. Gal Lib 1 de loc. affect. p. 278. edit. Graec. Baſilien. et Hoff. med Balion. ſyſt. p. 65. de mal. hypochond. p 50. de mal. hyſt.

Recentiores, ad tempus Hoffmanni, hos morbos confuderunt, et nunc etiam plurimi confundunt, ut nulla alia nota distinguerent, nisi quod hypochondriasin viris, hysteriam mulieribus, inhaerere opinarentur.

Nos sic distinguimus: Primum nec obscurum discrimen a natura aegrotantium petitur; ut enim melancholica hypochondriasi, ita sanguinea hysteriae, opportuna magis est.

Itaque, qui tenero ac molli corpore et capillis pallidis sunt, hac; contra, quibus corpora magis rigent et capilli nigrescunt, illa, magis laborant. Item magna animi mobilitate praediti, vehementium ejusdem affectuum impetui dediti, priore magis periclitantur; ideoque mulieres longe frequentissime eam experiuntur: Quibus natura hypochondriaca prorsus est contraria. Hysteria plerumque aliquamdiu circa florem aetatis, semper fere inter pubertatem et tricesimum quintum aetatis annum continetur; aut, si ultra permanet, propria facie magna ex parte mutata, in hypochondriacum aut simile malum transit. Sed ipso quo illa desinit tempore hypochondriasis, et ab illa ipsa aliquando incipiens, ad vitae plerumque finem perdurat.

Quin-

QUINETIAM, calor coeleſtis ~~qui~~ huic amicus, illi inimiciſſimus reperitur.

PORRO, quamvis multum in habitu opportuno ad hyſteriam faciendam ſitum eſt; tamen multo magis quam hypochondriaſis in occaſionis nocentis ſeu cauſarum excitantium et externarum vi conſiſtit.

DENIQUE, ex affectibus haec diſcrimina petuntur: Globus, de quo memoratum eſt, magis aut minus omni juſtae hyſteriae adhaeret. Idem hypochondriaſi alienus eſt; aut, ſi quando aliquid ſimile vel pars aliqua ejus, qualis gutturis adſtrictio eſt, in ea apparet, id pro ſigno hyſterico habendum eſt, et malum mixtae naturae eſſe credendum. Praeterque hoc, aſtrictio gutturis in hypochondriacis multo ſemper mitior, nihil durius unquam minatur. Item umbilicus intro retractus, lumborum inſigne frigus, et clavus hyſtericus, nunquam omnia in hypochondriaſin coincidunt. In qua, ventrem diſtentum prominere, multo magis conſuetum eſt; frigus lumborum memorabile nullum ſentitur. Et, ſi fixus dolor, et uni parti capitis inſidens, aliquando clavum refert, is et rarior eſt, et

forſitan

forſitan vix unquam, niſi in ea hypochondriaſis ſpecie, quae ab hyſteria orta, et ejus multum naturae retinens, ideo CULLENO et aliis hyſterica nominatur, apparet. Aut, ſi extra hanc ſpeciem et in aliis cernitur, tamen is quoque vel caſu fieri, vel ex hyſterica cauſa naſci, putandus eſt. Rarius etiam hypochondriacis, quae ſaepe hyſtericis, contingunt animae defectiones. Neque ſubitus, fractis viribus, caſus ad illam pertinet. Ad haec accedit, quod hyſteria victus aut medendi ratione ſaepiſſime, haud raro ſponte, ſublata, nunquam deinde redit. Hypochondriaci ſuum raro omnino vincunt morbum.

POSTREMO, brevibus acceſſionibus atque integrae ſalutis intervallis illa ſemper, hypochondriaſis nunquam, conſtat; ſed tarde ac paulatim adveniens, diu plerumque perdurat; et, licet per intervalla remittat; tamen, ea nunquam ab aliquo morbi affectuum libera, ſaepe multis et aſſidue infeſtantur.

Hyſteriae Species.

E cauſis ſupra relatis quaedam ita corpus movent, ut diverſas ſpecies efforment. Eae ſunt,

plenus habitus, menſtruorum retentio, libido, chloroſis, humor profuſus, poſtremo, nimium profuſa menſtrua; quae totidem ſpecies, *Plethoricam, a menſtruis retentis ortam, Libidinoſam, Chloroticam, Sterilium, ab humore profuſo,* item *a nimiis menſtruis ortam,* conſtituunt.

Hyſteria Plethorica.

Hysteria plethorica in natura totius corporis ſanguinea et plena, ſine ullius partis prae caeteris egregio aut memorabiliore vitio, conſiſtit. Aut, ſi qua pars reliquis potius princeps afficitur, ea canalis alimentarius eſt; ita tamen ut in toto corpore ſita magis ſit origo. Quo fit, ut affectuum in hac ſpecie ordo non ita ac in reliquis conſtet; cum haec nunquam non ab alimenti canali, illaeſaepe aliunde, incipiat; ita tamen ut is canalis praecipue laboret. Porro, hanc ſpeciem, cauſarum excitantium, quales animi perturbationes et ſimilia ſunt, ſola vis, inferre, ſervare, et renovare, menſtruis juſtum interea ordinem ſervantibus, obſervatur. Unde opinio, quae in utero perpetuam quaſi hyſteriae ſedem ponit, quam ſine juſta cauſa ſit, addiſcitur. Quo magis miror illuſtris

illuſtris viri HOFFMANNI errorem, qui cum viros quoque hyſteriam pati poſſe, et ſibi revera curandos contigiſſe, oſtendiſſet; tamen in utero ſolo ejus ſedem collocavit, nec in toto corpore aut alibi originem ejus vel minime quidem ſuſpicatus eſt.

Hyſteria a Menſtruis retentis.

EA ſpecies quam menſtrua retenta aut ſuppreſſa fecerunt, plethorica quoque eſt; quoniam talis cauſa tale effectum edit. Ideoque ad primam quoque referenda eſt, niſi quod eatenus diverſa eſt, quatenus prima ejus origo, in parte poſita, curationis diſcrimen poſtulabit. An a profluviis ſanguinis quibuſvis occluſis eadem ſpecies oriatur, incertum eſt. Apud HOFFMANNUM video, fluoris albi humorem ſuppreſſum hyſteriam creaviſſe. Verum, quia certiora hyſteriae ab humoribus ſuppreſſis inlatae exempla uterino ſanguinis profluvio continentur, nos cauſam non extendimus, et hac ſpecie ſola menſtrua comprehendimus. Quae occluſa ad plethoricam hyſteriam faciendam ſatis ſuperque poſſunt. Siquidem in uteri et vicinarum partium plenitudine ſitam

eorum

eorum cauſam eſſe, inter pleroſque phyſiologos conſtet. Quam plenitudinem ad totum corpus redundare, millia rerum probant.

Hyſteria Libidinoſa.

Hysteria libidinoſa antiquis Graecis et Arabibus, quique hos poſteris deinde ſeculis ſecuti ſunt, innotuiſſe videtur; ita tamen ut inopiam veneris, quaſi ſemen intus retentum corrumperetur, ſolam vitio verterint *. Quam opinionem ipſe, qui poſt multa ſecula antiquos ſecutus primus hunc morbum ab hypochondriaſi ſeparavit, Hoffmannus ſedulo defendit. Atque iidem antiqui ſunt, ut et multi Meridionalis Europae nunc medici, quorum teſtimoniis, humoris tenuis abundantiam, in acceſſionis aliquando fine, ex genitalibus effluere, diſcimus. Quam ideo materiem morbi eſſe et uterum ſedem crediderunt. Sauvagesius, " Monialem virginem toto corpore " cum ſuſpirio primum convulſam, dein exi- " liiſſe, per cameram ſaltatorio inceſſu curſi- " taſſe, laſciva et ad libidinem compoſita car- " mina ceciniſſe, bilem atram evomuiſſe, ac

* Vid apud Hoff. Charlet.

" tandem

" tandem titillata per impudicum tonſorem " clitoride acceſſionem viciſſe, omnium quae " acceſſionis tempore acciderant, poſtquam " ad ſe rediit, immemorem," ſcripto prodidit. Item ASTRUCIUS, Gallicaram mulierum moris eſſe, ſi qua earum in hyſtericam acceſſionem inciderint, hanc venereo impetu ſuſcitato depellere, commemorat. Quae teſtimonia, hanc ſpeciem frequentem eſſe, ſed partim quia rarior apud nos eſt, partim per noſtrarum mores pudicos minus apud nos obſervatam, declarant. Et praeterea hyſteriam alioquin in libidine poſitam, vultus, geſtus, verba et facta aegrotantium a laſcivis geſtibus ad furorem uſque uterinum creſcentia demonſtrant.

VERUM haec ſpecies non in inopia ſola, ſed in maxima copia amoris, conſiſtit. Immo, immodica veneris indulgentia hyſteriam quandoque parit; et cauſa exerceri conſueta effecti conſuetudinem, ſcilicet ſaepius renovatas et uſu firmatas acceſſiones, adducit. Nam accenſa libido ſummam dat corporibus mobilitatem, per quam omnis ſive corporis ſive animi titillatio maximo opere commovet. Ergo ad unam hyſteriae ſpeciem in venerei uſus defectu poſitam, altera in ejuſdem abundantia conſiſtens,

ſtens, addi inſuper poteſt, niſi quod nimii concubitus effecta magis ad hypochondriaſin pertinere, et unam ejus ſpeciem, praeſertim ubi longioris temporis ſpatio tardius ac paulatim fiunt, conſtituere videantur.

Hyſteria Sterilium.

Sed non ſatis eſt, ad hyſteriae occurrendum, idoneum amoris uſum permitti: Nam, ubi is vel rectiſſime procedit, tamen, niſi ea conditionum ſeries quae matribus contingat, multae hyſteria periclitabuntur *.

Hyſteria Chlorotica.

Quarta hyſteriae ſpecies ea eſt quae a menſtruis quoque ſuppreſſis aut retentis ita oritur, ut non tam habitum plenum quam diverſa effecta trahat. Verum, cum ea diverſitate eſt haec ſpecies varie plethorica, ut multis modis in alteram ſpeciem incurrat; ſic ab ea diſtinguenda; ut, ſi non, quae in illa, inſignis plenitudo aut mobilitas eſt, non corporis

* Hoff. loc. rel. Theſ Path § viii. "foeminas conjugatas, imprimis ſanguineas et ſucci plenas, ſine prole tamen viventes," hyſteriae opportunis annumerat. Sauvag. hyſt. chlorat.

corporis vigor, non vultus calor, aut alimenti canalis noxa paulo major adparet; ſed, e contrario, ventriculus turbis hypochondriacis, totum corpus flaccidum debilitatur, rubor ſanguineus quotidie imminuitur, ſerum augetur, et anaſarcam minitatur, ea morbi facies pro chlorotica et a plethorica diverſa habeatur*.

Hae igitur ſpecies ab eadem origine provenientes, in pleno habitu utraque aliquantum convenientes, alioquin prorſus diſpares, pariter diſpari curatione ſunt tractandae.

Hyſteria a profuſo humore.

Superiores ſpecies omnes forſan ad plenum habitum referendae ſunt. Ea vero quae ſequitur, a profuſo ſcilicet humore, ideoque omnibus contraria, nunc exponenda eſt. Eam ab aliis praeter ſanguinea profluvia eſſe, vix novimus. Saepius mihi memoratus vir ſemperque cum laude memorandus Hoffmannus, ſuane opinione, qua originem hyſteriae in utero ſolo atque intus retento aut corrupto ſemine poſuit, deceptus ſit, an quod in tanto

* Cul. prael. Sauv. loc. relat.

to tamque annoſo medendi uſu, quod minus mihi veriſimile eſt, hyſteriam a ſanguinis profuſionibus nunquam ortam viderit, incertum eſt ; ſed ſemel tantum atque invitus quaſi et coactus iſtam cauſam agnoſcit ; ſcilicet ab immodica lochiorum et diuturniore profuſione exemplo eo ineptius tracto, quod, ut mox dicetur, diuturnitas nihil ad rem * facit. Nam, licet extra ſanguinea profluvia, nulla ſpecies hyſterica conſiſtere reperiatur; tamen intra eadem, ſive ſponte incidentia, ſive arte effecta, multis exemplis hyſteria ſe oſtendit. Itaque frequens hyſteriae cauſa eſt ſanguinis detractio. Cujus non amplius decem unciae miſſae nonnullas in epilepſiam, paucas in hyſteriam, conjiciunt. Ejuſdem jactura frequens ad imminuendam inflammationem aliarum mulierum conſiliis aut ipſarum unde detrahebatur voluntate, diuturnum habitum hyſtericum, et acceſſiones crebro repetentes, creavit †. Item inſolita menſtruorum

* Hoff. loc. rel. Th. Path. § xvi. " Haud raro evenit ab immodico et diutius perſeverante lochiorum fluxione, leviore externa cauſa accedente, paſſiones hyſtericas, animi praeſertim deliquia, cum extremorum refrigeratione, ſequi."

† Cul. praelect.

rum copia aut crebrior reditus hyſtericas multas reddit. Quae vero puerperis profuſiones ex utero ſanguineae uſu veniunt, eae tanto ad id effectum magis valebunt, quanto et largiore copia et ſubito magis fiunt. Nihil autem in utero retentum ac corruptum nocere aut hyſteriam facere, tanta purgatio nullo modo cohibita aut ſuppreſſa, et hanc tamen inferens, claro argumento eſt. Nam, ut in prioribus ſpeciebus, diſtenſio ex plenitudine, ita in hac ex vacuo reſolutio, offendit. Reſolvitur enim tanto humore perdito totum protinus abdomen; reſolvuntur, remoto premente onere, univerſi qui in illo aortae rami diſcurrunt. Quae reſolutio protinus primarum viarum, mox totius corporis, tenſionem imminuat, et expeditam ad hyſteriae mille toto corpore enormes et ſpaſmodicos motus viam faciat, neceſſe eſt. Neque hyſteriam prohibendi ulla ratio melior eſt, quam faſciis abdomini circumligatis, id undique quam maxime comprimere. Video SAUVAGESIUM ex leucorrhoea ſpeciem ſtatuiſſe. Quae ex menſtruis nimiis ac ultra juſtos dies perſtantibus, et per intervalla cum ſeri profluvio intercurrentibus ſeque commiſcentibus, eſſe poteſt; quo magis non e ſeri ſed ſanguinis jactura illum

casum ortum esse credas. Certe optimus noster praeceptor CULLENUS nunquam ex sola leucorrhoea hysteriam, per triginta et amplius assiduum medendi usum saepissime hypochondriasin ortam, vidit *. Ac ne alibi quidem hanc hysteriae originem usquam video. Praeterea, etiam sanguinis profluvia, quae tardiora sunt, decies hypochondriasin, ubi vix semel hysteriam sequi, eodem auctore, discitur †.

ADDIT SAUVAGESIUS hysteriae speciem a vermibus concitatam. Quae nulla praeter Delii miraculorum undique compilatoris auctoritate nititur. Quin et ipsum ab eo exemplum adlatum nihil hystericum habere, et potius ad hypochondriasin referendum, videtur. Videmus enim leucorrhoeam immodicam manifestam, ut modo dictum est, hypochondriasis et frequentem sane causam; videmus ventriculi morsum et vomitum ad eandem magis pertinentia. Neque colica tam hystericus affectus quam hypochondriacus est. Denique, quod supra ventriculum malum non ascendit, quod nihil in gula constrictum est, nihil in reliquo corpore conturbatum; haec omnia, quae illa

* Cull. praelect. † Id.

illa ſpecies e numero hyſtericarum rejiciatur, idoneam cauſam praebent; aut, ſi retinenda erit, clariorum exemplorum fide opus eſt.

Judicium Eventus.

Causarum, affectuum, et ſpecierum, hiſtoria tradita, quid ſit de exitu morbi judicium deinceps tentandum eſt.

De pleriſque ſpeciebus hoc inter omnes convenit, hyſteriam terroris quam periculi multo plus adferre. Nam, ut ſupra memoratum eſt, acceſſiones plerumque breves ſunt, et interpoſita integrae valetudinis longiſſima intervalla habent. Quin et haud raro poſt paucas acceſſiones morbus ex toto, interdum ſponte, ſaepius arte, ſolutus, neque deinceps unquam redit, ac ne graviorem ullam labem quidem relinquit. Verum, cum ſaepe quoque ejus mixta aliis malis natura ſit, et aliae ſpecies alias eventus differentias adferant, quid de ſingularum fine futuro ſperandum aut metuendum ſit, dicere paucis conabor.

Species plethorica, et ideo exquiſite hyſterica,

ſterica, omnium difficillima ſublatu eſt; quia non ſolum cauſae excitantes, adeo ſolae tere ad morbum faciendum potentes, ſuperandae erunt, ſed etiam natura aut habitus corporis, ex leviſſima quaque cauſa morbo ſponte opportunus, quaſi eradicandus, Itaque, niſi plenus habitus aliqua corporis mutatione, qualem pariendi conditio, aut mutatum vitae genus, aliquando inferunt, forte adempta eſt, vix ſanitatis reducendae ſpes erit, ante vitae illud tempus, quo illa plenitudo quae ſanguinis arterioſi eſt, in diverſam, nempe venoſi, lege naturae tranſierit, id eſt ante xxxv aetatis annum. Verum, etiam ante id tempus, ſi plenus habitus, aſſidua tenuioris victus et exercitationis obſervatione, aut quavis corporis mutatione felici, ſolvitur, quod per diligentiam idoneam effici poteſt, morbus in multis ſimul demetur. Contra, per malam curationem, victus errores, praeſertim ſi corpus debilius natura, acceſſionum frequentia et gravitate adflictum, aut etiam aliis affectibus praeter hyſteriae magis proprios detritum eſt, id exhauſtum demum hypochondriaſi, ~~hyſteriae,~~ epilepſiae, aut ſimilibus nervoſi generis malis, tranſmittetur.

De

De reliquis ſpeciebus, quatenus plethoricae ſint, ſimilia dici poſſunt.

E quibus, ſi menſtrua retenta, ſi amoris inopia, ſubito magis hyſteriam fecerunt, menſtrua maturius reducta, aut amoris copia cito permiſſa, efficaci erunt remedio. E contrario, utraque cauſa diutius neglecta, veterantibus effectis, in pertinacem plenum habitum aut chloroticum tranſibit, ut difficillime deinde ſolvatur.

Ubi nimius concubitus mali cauſa eſt, jura pudicitiae religioſius ſervata illud ſolutura veriſimile eſt. Cujus utique eo minor ſpes eſt, quo difficilius libidini muliebri ſolutae fraenum injici poteſt.

Quae vero ſpecies e nimiis ſanguinis profuſionibus, praeſertim immodicis menſtrualibus, quales ſaepe abortientibus aut male curatis, poſtve partum difficilem puerperis, contingunt, innatae ſunt; eae corpus ſummopere irritabile reddunt, et vel habitum plenum, ut in ſanguinis inciſa vena nimia detractione fit, efficiunt et morbum firmant, vel corpus inane, exhauſtum, et vitiatum, hypochondriaſi demum tranſmittunt; aut ſemper aliquo modo curationis difficilis reperiuntur.

Postre-

Postremo, omnibus ſpeciebus hoc commune eſt, ut, ubi caeterae conditiones pares ſunt, prout acceſſiones graviores aut leviores, plures aut pauciores ſint, et affectus quibus conſtent partes magis aut minus vitae neceſſarias urgeant, item robur aut aetas magis aut minus vigeant, eventus melior aut pejor ſit futurus.

Conſenſus refutatus, et per Tenſionem explicatus.

Motus nervoſi, cum aliis rebus et cauſis, tum maxime a tenſione partium, ſuſtentantur. Tenſio autem mechanica, magis autem animata, eſt. Muſculorum tenſio in ipſorum contractione, qua alii alios et ſinguli omnes adjuvant, in antagoniſtarum actione, in fulcris externis, unde ex conſuetudine tanta poſiturarum ad agendum varietas, et in ſanguinis diſtenſione cum vi vaſorum contractili librata, conſiſtit. Quae quidem partim mechanica, partim animata eſt. Aliud autem muſculorum genus eſt, multo minus ab iis rebus tenſionis, et vix ullam, accipiens. Id, cum in aliis partibus, tum praecipue in alimenti

canali,

canali, obtinet. Hujus ideo tenſio, non mechanica, ſed a vi nervea in muſculoſas fibras derivata illic ſubſiſtente et implente exoriens, animata ex toto eſt; quam vim tonicam adpellamus. De quo utroque tenſionum genere, ne omnem modum ſermo noſter excedat, parum locuturus, ad doctrinam de hac ipſa re Cullenianam, hoc primum tempore fuſius et plenius ab egregio juvene JOANNE COULINGIO, mecum laureae competitore, in lucem editam, et ad ipſius maximi viri praelectiones, ſcire totam cupientes relego. Solumque hoc dixiſſe ero contentus, nihil ad morbos nervoſos, et ante omnes hyſtericum et hypochondriacum, explicandos magis pertinere, nihil morborum naturae clariorem lucem praepandere, quam eam ipſam doctrinam. Id quod paucis exemplis inde tractis, et cum doctrina de conſenſu connexis, quod COULINGIUM omiſiſſe video, illuſtrabo.

PER vim tonicam et alteram modo memoratam tenſionem alimenti canalis, et praecipue ventriculus, totum corpus latius et afficit, et invicem afficitur. Ita jejunus ſtomachus ubique languorem et omnium actionum torporem infert; plenus, ſolitum robur reſtituit. Conſuetudo certo quotidie tempore

cyathum

cyathum vini aut ſpiritus vini Gallici aſſumendi, ut vigorem corpori, animo hilaritatem, impertit, ita, ſi omiſſa eſt potio, ſumma omnibus membris omnibus artubus laſſitudo cum languore percipitur. Quam moleſtiam reſumptus cyathus temporis puncto tollit. Inflatio ejuſdem canalis varias partibus remotis moleſtias, dolores, ſpaſmos, et ſimilia, inducit; quas turbas aër ſupra aut infra emiſſus illico iterum aufert. Rurſuſque extremorum dolores graviter ventriculum adficiunt. Id quod celebri VAN HELMONTII exemplo olim, nec minus illuſtri JOANNIS BRUNII, medicinae diu hic ſtudioſi, intra paucos dies confirmatum eſt. Alter ruſticam villam, invitatus ad prandendum, petens, forte prolapſus, tali os ſuo loco demovit. Quo factum eſt, ut acutum cibi deſiderium ante caſum, in aegritudinem, in nauſeam, et ipſum vomitum verteretur; reſtitutoque in locum oſſe, temporis puncto, tanta, quanta ante fuerat, cibi rediit cupiditas. Alter, cum forte ante paucos dies talum leviter diſtendiſſet, et ſchola Culleniana circa meridiem egreſſus, per lubricum ſolum prolapſus, in partem aegram gravi corporis mole corruiſſet, idem effectum quod HELMONTIUS eſt expertus, et CULLENI, eo

ipſo

ipſo die de caſu Helmontiano forte locuti dictum illuſtravit. Nam protinus poſt caſum, aegritudinem, nauſeamque ventriculi in juſtum vomitum erupturam, niſi, omiſſo forte illo die jentaculo, ventriculus prorſus vacuus fuiſſet; poſtremo, toto corpore debilitatem tantam ut ſtare nequiret et ſudorem undique large dimanantem perſenſit. Quae omnia mala accerſitus a condiſcipulo ſpiritus sacchari cyathus, et brevi poſt caſum mora datus, protinus abſtulit. Ejuſdem rei multa alia, ni haec ad propoſitum noſtrum ſufficerent, exempla adduci poſſent.

Haec igitur ventriculi cum reliquis corporis actionum communio, hactenus *Sympathia* ſeu conſenſus, nominata eſt. Quae vox, utique rationi rerum et animalium contraria, non ſolum nihil veri addocet, ſed in falſam opinionem ducit; quaſi certae res in natura eſſent, quae magica quadem veluti vi, ſine cauſae et effecti ratione, inter ſe reſponderent. Profecto id non ita ſe habet. Neque quicquam, cum in aliis rebus, tum in animalium corporibus eſſe credendum eſt, quod a legibus cauſae et effecti perpetuis excipias. Corporum animalium fere omnes actiones in motu aetheris

theris nervoſi, eoque mechanico, conſiſtunt *. Motus vero de quo nunc agitur in tenſione ventriculi et reliqui corporis, altera alteram mutuo afficiente, et vim tonicam immutante, conſtat. Vis tonica autem eſt idem aether in muſculoſas, praeſertim ventriculi et reliqui canalis alimentarii partes, diducta, illic ſubſiſtens, et replendo tenſionem addens. Ea, ſi juſto major in aliqua parte eſt, hanc nimis tendendo, pro ſtimulo agit, (ſtimulum enim non id ſolum quod contractionem muſculoſam, ſed et quod vim tonicam movet, appello), et in alias partes, prout quaeque irritabilior magis eſt, aut tenſionem magis in vi tonica poſitam habet, aethera diducendo, illic quo-

* Verum omnes rerum motus mechanici ſunt; aut, ſi non ſunt, philoſophiae ſanae fundamenta prorſus conquaſſantur. Quo magis cavendus duplex philoſophorum error eſt: Alter chemicorum, qui neglecta omnino mechanica cauſa, de occultis quibuſdam qualitatibus, de ſympathia, de intercedente Numine, locuti ſunt; item peripateticorum neſcio cujus horroris vacui defenſorum: Alter corpuſculariorum ad durorum corporum certas quaſdam figuras, quaſi haec ſola omnis mechaniſmi cauſa eſſet, omnem cauſam referentium.

Guſt. Richard. Brown de ortu anim. calor. p. 28. 29.

que vim tonicam auget. Contra, ſi debito minor eſt, pro rata parte ſtimulus aethereus ſubductus, ut hic, in reliquas partes minore copia diductus, minus quoque eas impleat, efficiet. Quae ſi corporum noſtrorum ratio eſt, chemicorum vocabulum ſympathia non magis idoneum eſt, quam ſi dicas, cum unum muſicum inſtrumentum percuſſum alteri motum communicat, id per ſympathiam ſeu conſenſu fieri, et non ex aeris vibrationibus ab illo concitatis et ad hoc pervenientibus oriri; aut ſi contendas ſtyli horologii horas aut puncta indicantis, et penduli totum ideoque et hunc moventis, motus eſſe ſympatheticos. Porro, cum ipſa vox ſympathia duas partes inter ſe conſentire ſignificet, ſi id per ſtimulum cerebro admotum ſit, et motus communiter ad poteſtates motrices inde perferuntur, et latius corpus commovent; nemo, hoc ubi fit, de ſympathia loquitur. Ergo, vocabulum *ſympathia communis* eſſe ſupervacuum, in confeſſo eſt. Contra, ſi impulſus ſtimuli in partem ſingularem incidit, quo ſit ut altera ſingularis quoque, ſine cerebri evidente interventu, afficiatur; ea ſympathia ſeu conſenſus ſingularis nominatur. Cujus an ulla ratio aut cauſa melior ſubſit, inquiratur.

Primum igitur dicendum videtur, multas ſingulares ſympathias eſſe credi, quae re vera communes, ideoque nullae ſunt. Itaque vir praeclarus Whyttius, nuper in hac academia inſtitutionum Doctor, praecipuum fundamentum ſympathiarum ſpecialium ſeu ſingularium prorſus ſubruit; cum exempla ejus, quae vulgo adferuntur, non ſingularium nervorum conjunctione aut conſenſu quolibet, ſed per cerebrum in partem tractum omnia explicanda, oſtenderet. Quod quidem, ſpeciales ſympathias refellendo, contra communes quoque alteri argumento eſt. Unde, quid ſit colligendum, paucis exemplis illuſtrabo. Mulier, forte viri genitalia conſpicata, erubeſcit. Idque per aliquem oculorum cum genis nervoſum conſenſum fieri judicatum eſt. Quod utique non ita eſſe eo apparet, quod non oculi ſoli, ſed et auris aut tangendi, ſicut et alia organa pariter impulſa, eundem pudorem pariter omnia concitant. Non igitur nervi organica affectio, ſed in cerebro ſuſcitata imago, id effectum praeſtat. Neque refert quae pars quive nervus impulſus afficiatur, ſed quae animo notio excitetur ad effectum pariendum. Eſt igitur hoc nullum conſenſus ſpecialis exemplum. Cui ſimile ſequitur; res quaelibet timenda

menda tremores ciet; qui nulli partis impulsae et partium motarum consensui singulari tribuendi sunt, sed ad effectum toti corpori commune, scilicet in cerebro depictam imaginem, et ad membra motricia vim nerveam tonicam inaequaliter dimittentem, referendi. Itaque, injecto terrore, omnia membra tremunt. Levior metus, qui omnia commovere, vi nervosa ad omnia diducta, non potest, unum aliquid magis irritabile tremefacit; qualis cuidam homini contingere solitus est, cui per altum et praeruptum locum despicienti musculus cremaster protinus contrahi consuevit. Cujus causa nullus inter oculos et partem affectam consensus est, sed certa ejus irritabilitas; qua fit ut aliae res eundem metum ederent. Quae exempla eo retuli, quo consensus ventriculi cum aliis partibus opinionem vanam esse ostenderem.

Ventriculus, praeter cerebrum, summae sensibilitatis est; ideoque is prae caeteris partibus cerebrum, et per ejus vim et irritabilem naturam, sine ulla ipsius et harum partium nervorum conjunctione, reliqua corporis movere potest. Rituque inverso, si reliqua corporis ventriculum commovent, id non protinus per nervorum singularium copulam, sed

cerebrum

cerebrum quicum omnes nervi conjunguntur, propter ſummam ejus irritabilitatem, commoventta ventriculum, cerebro irritabili natura proximum, prae caeteris adficiunt. Summo ſic propoſiti mei explicato, idem in uſum paucis exemplis commemoratis deducam.

Primus et antiquiſſime memoratus, conſenſus ille eſt qui caput inter et ventriculum intercedere exiſtimatus eſt. Hic conſenſus neutiquam eſt. Sed cum ſenſorii actio omnes muſculoſas, ſed alias magis, alias minus, pro earum majore et minore irritabilitate, afficiat, ventriculus vero cerebro ipſi irritabilitate proximus reperiatur; ideo ventriculus propria natura, ut praeſertim a cerebro afficiatur, et irritationi ejus reſpondeat, neceſſe eſt. Itaque ſtatus ſeu conditio ventriculi tenſionis ſimilem animi tonum parit. Laxus ventriculus languorem, moeſtitiam, et ipſum delirium creat. Contra idem, ita ut par eſt, tenſus illi vigorem vividum, fortitudinem, et cum perſpicacitate conſtantiam, impertit. Eſt igitur per tenſionem hoc explicabile. Quo magis ut credas, ſimul ac cerebrum per ventriculum aut aliunde, ita ut dixi, afficitur; effectum in partibus id proximis ſaepenumero percipitur.

Ita,

Ita, ſi quis ventriculi impulſus animi defectionem facit, id primum in oculis, auribus, et partibus vicinis, cernitur. Atque hinc capitis circumacti quaſi vertigo, et aurium veluti tinnitus, et ſimilia, deficientem animum toties praecedunt. Simili ratione, ſi ventriculus irritatus convulſiones in diverſis partibus facturus eſt; quo magis id per cerebri actionem mediam fieri exiſtimes, convulſionum initium primum in oculorum, aut vultus, ſine voluntate, contractione, aut ſpaſmo, fiet. Sic quoque tendo, ſeu potius nervus, in diverſis locis punctus, tetanum ſeu muſculorum flexorum aut extenſorum convulſionem efficiet; ſed prius quodam modo maxillarum, quam Anglice *Lock-Jaw* interpreteris, convulſionem aut alias circa vultum prodet. Quod effectum, non quidam ſed quilibet, toto corpore nervi puncti praeſtabunt. Muſculi autem vultus eo primum adficiuntur, quia ſenſorium proximi ſunt; flexores vero potiſſimum convelluntur, quia robuſtiſſimi ſunt, cum non ſolum antagoniſtis reſiſtere, ſed et membri quiſque ſui pondus ſuſtentare, neceſſe habeant.

Alius conſenſus communis ventriculi cum ſummo corpore eſſe habitus eſt. Qui eo magis

gis anquirendus eſt, quod in multorum morborum partem pervenit. Cujus rei rationem hanc, mihi veriſimillimam, accipe! Quia ſummum corpus maximum ſentiendi organum omnium eſt, nervi ex omnibus itineris eorum partibus quodam tenus huc dimittuntur; ubi, proprio modo explicati, ſub cuticula diſperguntur. Cum igitur ſummum corpus ſic latius reliquis ſentiendi organum reddatur, ideo idem multum ex omni cerebri affectu majore adficietur. Itaque, quoniam ventriculus cerebri adficiendi praecipue facultate praeditus eſt, id affectum ad ſummum corpus transferet; a quo rurſus hoc ipſum commotum in ventriculum rurſus reaget; non propter conſenſum ullum ventriculi et cutis muſculorum, ſed quia utrique ſenſibilium maxime nervorum extremis inſtruuntur, ideoque cerebri impulſus facillime quoque recipiunt. Porro, cum in ſummo corpore innumerabilia vaſa ſanguifera, vario ſanguinis impetu, tenſione variare neceſſe ſit, et a corde diſſitiſſima omnem ejus actionis defectum prae reliquis perſentiant; ita varians ſic ſanguinis in ſumma cute impetus, illic quoque diſperſa nervorum extrema adficiet. Rurſus, ſic extremorum

tremorum vaſorum nervi adfecti ſanguinis motum mutabunt. Quae peculiaris ſummi corporis mobilitas in nervoſam noſtri partem univerſam, ideoque et ventriculum adeo ſenſibilem, neceſſario multum aget. Praeterque haec, ſummum corpus magis frigoris et caloris viciſſitudinibus objectum, tam nervorum quam ſanguinis circumeuntis ſtatum non commutare non poteſt. Et ſic quoque illud mobilius factum, varie pro illa mobilitate cerebrum et omnem maxime ſenſilem partem, ideoque iterum hoc nomine ventriculum, in partem pertrahet. Sanguis vero per has cauſas a ſtatu naturali dupliciter decedit, prout majori copia in interiora aut exteriora, in viſcera aut ſummum corpus, tendit. Itaque prae caeteris ventriculi nervi, ob poſitas cauſas, pro variante illius vaſorum ſtatu, variabit; ut ideo hoc etiam nomine ſummae cutis omnis mutatio ad ventriculum, cerebri actionis interventu, perveniat. Forſitan modo dictorum quaedam de ſanguinis impetu ſeu motibus febrilibus dici etiam poſſunt.

Alius conſenſus communis ab externis artubus, non pro ſummi corporis parte, ſed pro locis a cerebro et corde remotiſſimis habitis,

tractus eſt. Nam, quantum ab utrovis diſtantia partium has adficiat, nemo medicinae paulo peritior ignorat. Itaque ventriculus et pedes manuſve ita conjunguntur, ut podagra aut chiragra inter hos et illum alternatim et temporis puncto commigrent. Quod per tenſionis mutationem quae temporis puncto fit, non per materiam morbificam quae niſi poſt aliquam moram transferri nequit, fieri veriſimiliùs eſt. Sic ventriculi dolor, cyatho ſpiritus vini Gallici ſumpto, ad extrema protinus ſummovetur; quibus, e contrario, frigus adſpirans aut veſicatorium admotum illum ad ventriculum aeque ſubito repelliit. Atque hoc modo, ſi ratiocinandi tempus eſſet, caetera omnia arthritica explanari poſſent *. Sed jam dicta ad noſtrum propoſitum ſatis eſſe videntur.

Hi igitur conſenſus ventriculi cum aliis partibus hactenus exiſtimati ſunt. Cumque omnes melius, doctrina de tenſione poſita, explicabiles videantur; dictis adjiciendum eſt, tenſionem ventriculi, prae caeteris locis variam,

* Totam hanc rem pulcherrima et nova ratione CULLENUS, nuper de arthritide agens, explanavit; Praet. de uſu nunc habitis.

am, mutata alibi tenſione, imprimis adfici et invicem alibi adficere periclitari.

Sed et alia loca tenſionis mutabilis ſunt, qualia pulmones et cor ſunt ; quae et propriae tenſionis varietatem aliis partibus impertiunt, et viciſſim ab illis varietatem facile capiunt. Pulmones poteſtati inaequaliter diſtendenti, ſed minus quam ventriculus, objiciuntur; atque ideo minus motibus enormibus opportuni ſunt. Cor, licet aequaliter ſatis diſtendente vi praeditum ſit, tamen, propter et hanc aliquando deficientem et propriam ejus irritabilitatem, tenſione variata, haudquaquam motibus exlegibus caret. Et, quoniam idem egregie ſenſibile eſt, deficientem tenſionis ſtimulum ac motus alienos et ſentiet et ad alias partes deferet. Quae pulmonum et cordis tenſionis inaequalitas multa nervoſorum morborum, ac prae reliquis hyſteriae multa, explanabit. Itaque nullus cruris ſive extenti ſive flexi nervorum cum ventriculi * nervis conſenſus ſubeſſe poteſt; ſed, motuum libramen mutatum illa efficere, facile eſt conceptu. Aliter, qui cruris flexio, qui frigus aut

* Vid. Whytt on nervous diſeaſes, p. 266.

calor,

calor, tuſſim concitare aut ſedare, explicanda ſunt? Simili ratione, non copia ſanguinis in cor influens varios ejus adfectus, ſed mutata ejus tenſio ex reliquarum partium tenſione mutata, ſatis veriſimiliter explicat. Poſtremo, quo propius ad rem accedam, ventriculus, pulmones, et cor, cum cerebro ſeu ſenſorio communi, praecipue ſpaſmodicis aliarum partium affectibus in morbis nervoſis, prae caeteris hyſteria, opportuna ſunt. Unde, quod has partes hyſteria adeo late infeſtet, veriſimilior hac ratio nulla reddi poteſt.

Duae partes reſtant adhuc quae ad hunc morbum faciendum conferunt; genitalia virorum et mulierum. De quibus, cum pauca locutus fuero, hanc doctrinam concludam. Ea, mobilis tenſionis ipſa, mobilem in primum alimenti canalem turbant. Quorum

Virilia ſeminis vaſa non tam ſeminis irritatione quam tenſionis mobilitate noxae ſunt. Quam opinionem, vocis ſonum et mentis tonum veneris vis adficiens, veriſimilem ſane reddit.

Genitalia muliebria, partum concipiendo, in utero gerendo, in lucem edendo, et lac praebendo, tenſione mirum in modum variantia, per hanc tenſionis varietatem, nullo negotio

gotio explicabilia, ad nullam intus naſcentis materiae noxam cum ulla veri ſpecie referenda ſunt. Quorum vaſa adeo varie, modo laxiora, modo tenſiora, ut multum adficiantur, adfecta reliqui corporis et ante omnia ſtomachi et inteſtinorum tenſionem mutent, neceſſe eſt. Quo fit, non ut HOFFMANNUS opinatus eſt, per corruptum in utero aliquid, ut tot hyſteriae ſpecies ab illa ſint origine. Et licet hae conditiones, ſic ut propono, noceant, non tamen contrarius ſterilitatis habitus iiſdem effectibus caret. Is enim, ſi nihil in veneris uſu peccat, abundantiam ſanguinis, ideoque nimiam tenſionem, et inde orta mala, confert; ſi nimia venus eſt, eo ipſo nomine, morbis, tum aliis tum hyſteria, parientibus magis ſteriles periclitantur. Ergo conditiones liberos gignendi ſupra memoratae, non vi venerea, ſed alia ratione agere credendae ſunt. In primis vero uterus tenſionis varietate quam menſtrua dant varia mala parit. Id autem ſanguinis pereuntis impetui deberi, is in viris, licet non certis circuitibus profuſus, ſimile effectum trahens *probat*.

ERGO, ex ſupra dictis diſci poteſt, tenſionem corporis inter ſe partium certo modo libratam ad ſecundam valetudinem plurimum valere;

lere; eandem in una parte a naturae modo variantem reliquas male adficere, morbos nervoſos, ac praecipue hypochondriaſin, magis etiam hyſteriam efficere, et pleraque hujus, ſuperioribus opinionibus aptius, explicare. Quo facto, ad naturam hyſteriae aut cauſam proximam anquirendam, deinceps accedam.

Cauſa Proxima.

Habitus hyſteriae opportunus laxis fibris conſtat. Quae laxitas fibris ſimplicibus contineatur, an in vi tonica debilitata, an etiam in utraque cauſa conſiſtat, ambigitur; niſi quod laxas eſſe fibras extra controverſiam eſt. Cumque, eo vitae tempore quo hyſteria contingit, arteriae, prae reliquis vaſis et praecipue venis diſtenſiles, ſanguinis impetui magis cedant *; ideo, ut hic in arteriis magis abundet, neceſſe eſt.

Rursus, haec ſanguinis arteriarum abundantia, ut idonea earum tenſio, a vi contractili iis propria et ſanguinis diſtendentis impetu inter ſe libratis pendet; ita, quia nimia eſt,

* Vid. Wintringham, Exper.

pro

pro inſolito ſtimulo agens, illam ipſam vim contractilem augebit, id eſt, irritabilitatem creabit. Quae porro irritabilitas totum corpus variae mobilitati opportunum reddet: Simili ratione ac machina hydraulica, cujus motus organici ex certo perfluentis humoris impetu et rotarum certo attritu inter ſe libratis pendent; ſi is impetus nimius eſt, ſuperato, pro rata parte, rotarum attritu reſiſtente, in nimios motus impellitur. Quinetiam, cum tenſio tantopere ad ſtabiles corporis motus dandos valeat; ejus vel in toto corpore, vel etiam in parte, mutatio quaevis, illius mobilitatis praecipua occaſio erit. Ergo natura hyſteriae opportuna in mobilitate corporis motuum conſiſtit.

Jam dictum eſt, mobilitatem ex irritabilitate naſci. Verum eadem ex ſola irritabilitate, an etiam ex aucta ſenſibilitate, quatenus haec ad irritationem viam faciat, exoriatur, incertior ſum; niſi quod ad hanc quoque opinionem hyſterica ingenia ducunt. Denique, eadem mobilitas ad ataxiam ſeu enormes aetheris noſtri motus tendit. In iſta ataxia iiſve aetheris nervoſi motibus enormibus, Sydenhamus, quod et nobis placet, omnia hyſteriae et pleraque hypochondriaſis collocavit,

collocavit; ſcilicet, ea ataxia eſt, ubi aether ſeu vis nervoſa in alias partes nimio impetu aut copia, in alias nimis debiliter aut parce, dimittitur. Nimium aetheris impetum aut copiam, ſanguinis in arteriis abundantis et auctae tenſionis ſtimulus jam memoratus, efficit. Quod utique totam hyſteriae proximam cauſam non attingit. Nam et deficientis impetus aut copiae cauſa quaerenda reſtat. Ea eſt juſtae ac ſolitae tenſionis ſtimulus imminutus aut ſubductus; ſcilicet reſolutio. Quod, ne explicatu difficilius videatur, uno aut altero exemplo illuſtrabo. Quoties et quacunque ex cauſa animus deficit, in vitae organa, et, ut videtur, in totum corpus, diduci aether nervoſus ceſſat: Idemve ſine lege in corporis reliqua diducitur, ut convulſiones docent. Quod utique inter alias cauſas ex reſolutione ſeu deficiente ſtimulo naſci, animae inter ſanguinem detrahendum tot defectiones oſtendunt. Item tremores aut motus ſpaſmodici, conſueto fulcro alicui parti aut membro ſubducto, oriuntur. Itaque, ſi quis poplitis ſpaſmodici contractioni aſſuevit, eam, relaxato muſculo, fieri meminerit: Qua, pede in imum lectum aut pavimentum impreſſo, protinus libratur. Multa praeterea exempla

exempla ejuſdem rei doctrina de tenſione, quam fuſius nobis illuſtris noſter praeceptor CULLENUS ſaepius jam tradidit, exponit.

CUM igitur opportunus hyſteriae habitus in mobilitate, ipſe morbus in ataxia, et haec rurſus in tenſione varie ſive aucta ſive imminuta, conſtent; et ea ipſa tenſio, in muſculis, in vaſis ſanguiferis, in nervorum chordis, admodum variet, ut cujuſvis partis tenſio major aut minor reddita totius corporis tenſionem majorem aut minorem reddat; poſtremo, cum maxima ſic effecta leviſſimis quae videntur momentis oriantur, quare morbus tam longe lateque motus nervoſos et totum corpus afficiat, haud obſcura cauſa eſſe poteſt.

Ratio Medendi.

AD curationem duo agi requiruntur; primum, ut acceſſio prorſus tollatur; deinde, ne redeat caveatur.

HORUM primum plerumque minus aliquando perquam neceſſarium eſt. Nam licet, ut ante dictum eſt, hic morbus, utut dira turbarum facie ſit, plerumque terroris quam periculi plus prae ſe ferat; tamen eſt, quan-

do vis acceſſionis non periculum ſolum ſed et mortem quoque adfert; ſcilicet, ſi epilepticae aut apoplecticae convulſiones inſuper adduntur. Alia cauſa accedit quare ipſa acceſſio non negligatur; quia neglecta magnam ſaepe tabem naturae nervoſae imprimit; ut ideo futurae acceſſiones, tum graviores, tum frequentiores, tum diuturniores, eoque ancipitis magis eventus, reddantur.

Verum in eo quod poſterius agendum dixi magna curationis cardo vertitur. Siquidem fruſtra praeſentia levas, niſi mali corpori inhaerentis quaſi radicem revellas, et renaſcendi poteſtatem tollas.

Ut ad primam eorum quae agenda ſunt partem redeam; ne ſine conſilio agere, et poſitam cauſam proximam, morbi motuum explicatricem, in iis motibus medendo parum reſpicere videar, et in illa parte rationalis, in hac empyricus eſſe, et parum mihi conſtare, exiſtimer; medendi rationalia conſilia proponam, et medicamenta his et naturae morbi accommodata, ratione uſum ſaltem juvante, anquiram. Quoniam igitur omnes motus hyſtericos cum ataxia aut ſine ordine eſſe, ſcilicet vel nimios vel deficientes, in pariter juſto aut majoribus aut minoribus

aetheris

aetheris nervoſi oſcillationibus conſtare ſtatui; manifeſtum eſt, ad eas oſcillationes nimis debiles roborandas, nimis validas, nempe ſpaſmodicas, conſopiendas, mixto ſtimulantium et antiſpaſmodicorum, aut his certe ſimiliter agentium, opere opus eſſe. Ergo, in prima parte,

Unum ſed mixtum medendi conſilium ad animum accurrit; ut aetheris ſeu ſenſorii vim nimis imminutam attollam, auctam nimis componam.

Cui conſilio ſanguinis detractio, calor, et frigus, hoc lavationis ille balnei forma adhibita, acria quaedam ſummo corpori, aut naribus admota aut in alvum immiſſa, reſpondent; quippe quae vel ſtimulent vel ſpaſmodice aut ſimili aliqua ratione agant, vel utrumque ſimul id effectum praeſtent.

Quod ad ſanguinis detractionem attinet, ea in pleno habitu et acceſſione premente, ne ſanguis in certas partes cum periculo ruat, utile eſt remedium. Eadem ſaepius repetita, abundantiam novam ſanguinis creando, ideoque mobilitatem augendo, etiam in pleno habitu nocet; in inopia vero ſanguinis perniciei eſſe poteſt. Non igitur, niſi cum cautione magna,

magna, quam medici ſaepe negligunt, ſecanda vena videtur *.

Ad animae defectiones aut ſaltem coma tollendas, e ſtimulantibus, quae ſenſus excitent et oſcillationes aethereas ceſſantes in varia corporis reſtituant, primum calor memorandus eſt. Ejus forma optima eſt pedum et crurum balneum. Quod ſaepius alias utiliſſimum, Whyttius, nuper Praeceptor noſter, in inſigniore pleno habitu inutile † faſſus eſt, Cullenus periculoſum teſtatur ‡; quippe quod, in tali habitu ſanguinem rarifaciendo et ſtimulo ſtimulum addendo, cauſam morbi recta vi intendat. Idem in reſolutioribus habitibus, in ſanguinis magis inopibus, et ubi tenſio inaequalis ſubeſt, nec morbus ab exagitantibus animi perturbationibus ſubito et evidenter, ſed cauſis obſcurioribus, ortus eſt, maxime etiam morbo cum extremorum frigore jam accedente, ob id ipſum quod ſtimulo languentes motus ſuſcitat, non prodeſſe non poteſt. Quin et, ſaeviente et vigente in iiſdem habitibus acceſſione, non ſolum pedum ac crurum, ſed et femorum et inferioris

* Cul. Prael. clin. 1765.
† On nervous diſorders, Prael. relat.

ventris,

ventris, balneum tenſionem toto ſummo corpore deficientem reſuſcitat; ideoque, tanto ſtimulo admoto, illam omnibus partibus reſtituit.

Validum quoque remedium, ad acceſſionis vim infringendam, frigida aqua parti affuſa, ſed incertiore effectu, eſt. Nam, ubi motus multum languent, periculum eſt, ne in parte cui adſpergitur eos extinguat, et vim nerveam ultro ceſſantem in partes diduci etiam amplius prohibeat. Cujus rei ratio haud obſcura eſt. Nam omne frigus quod abſolutum eſt, ſua natura oſcillationes aethereas ſedat. Quod ſi idem ſaepe potentiſſime eaſdem ſtimulare, et ſemper ubi aliquantum vigent, reperitur; id facit, quia elaſticae oſcillationes e ſummo corpore repulſae propria natura in poteſtatem nocentem reagunt, vim vi repellunt, et ſic excitatae vigorem agendi acquirunt.

In aliis, ubi oſcillationes et vis cerebri languidae non reagunt, frigori prorſus proprium eſt, languorem addere et perniciem inferre. Itaque Joannes Floyerus eques et medicus, qui nuper in Anglia floruit, in libro quam de frigidae lavationis commodis compoſuit, cum eam pleriſque corporibus prodeſſe commemoraſſet, tamen perquam imbecillos ab ejus uſu noxio diſſuaſit. Aqua frigida vultui aut manibus

bus hyſtericarum adſperſa, ultro acceſſionem validius impulit, aliis prohibuit, aliis, provecta uſque ad coma acceſſione, citius ſalutem reduxit. Quae ideo, cum cerebri vi accommodari nequeat, vel rejicienda eſt, vel a ſagace medico tractanda.

MEDICAMENTA quae naribus admoventur, quia et manifeſto ſtimulant, neque omnia ſtimulantia reſpondent, ſimul ſpaſmos reſolvunt; praeter ſtimulantem, etiam antiſpaſmodicam vim poſſidere videntur. Certe, olfaciendi organo applicata, ſuum affectum cito toti corpori diſtribuunt. E quibus utique alkali volatile evidenter et purius ſtimulat. Sed reliqua, ſcilicet qualia pluma aut corium ambuſta et ſimilia quaedam ſunt, mixtam proprietatem, partim alkali volatilis, maxime olei empyreumatici, habent. Quod ſtimuletne, an antiſpaſmodice, an etiam ſimiliter alias agat, non audeo dijudicare. Verum omnia in primis valent ad acceſſionem depellendam. His quoque conſimilia ſunt varia olea foſſilia; quorum praecipuum oleum ſuccini eſt. Quod ubi purum eſt, et non, ut in noſtris officinis vulgo venale proſtat, maxima ex parte oleo terebinthinae, prorſus ad noſtrum propoſitum inefficace corruptum, ſive naribus admotum,

ſeu

ſeu potius, ſi ani ſphincter non conſtrictus ſinit, in eum immiſſum, peculiariter et potenter acceſſionem fugat.

Ad futuris acceſſionibus occurrendum, et morbum prorſus tollendum, triplex medendi ratio ſuccurrit: Ut primum cauſae excitantes caveantur; deinde, diſtendens ſanguinis abundantia minuatur; poſtremo, errantes nervoſi motus corrigantur.

Hic autem non de omnibus ſpeciebus verba fuſius facturus ſum; quippe quod orationis tenorem praerumperet, ſed plethoricam ſeu propriam hyſteriam, quae praecipue ad propoſitum pertinet, praecipue etiam tractaturus; reliquis, niſi quatenus communia cum ea quaedam habere, aut obiter illuſtranda videantur, abſtinebo. Certe omnia quae a pura hyſteria c natura paulo longius remota ſunt, ea vel a noſtro propoſito aliena omnino ſunt, vel, ſi occaſio dabitur, ſeorſim tractanda. Nec gravior in ſcribente error eſſe poteſt, quam pro uno quae diverſa aut plura ſunt ſimul exequi, ſeque pariter et legentes conturbare. Sic enim,

——————Velut aegri ſomnia, vanae
Finguntur ſpecies, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formae ——

Quod

Quod ad primum consilium attinet, id difficillimum effectu est: Siquidem cupiditates et adpetitus, ~~quae~~, sine summa sapientia, ab imbecillitate sexus quem hic morbus prae caeteris petit aliena, regi bene nequeunt. Itaque, siqua libidini nimiae se addixerit, quales multae sunt; siqua irae impotentior est, et ii adfectus et naturales iis et consuetudine aut disciplina mala conformati sunt, quis medicus, amicus, philosophus, tanto impetui finem statuat? Quis naturam, disciplinam, consuetudinem, difficillima rerum superatu, et qualibet arce munitiora, frigidis verbis expugnet? Id sane medici supra vires est. Cujus est, depulsis quantum maxime potuerit istis, aut si quae causae vitatu faciliores sunt, secundo protinus consilio uti, et adversus causarum earundem vim aegrotantes defendere.

Ergo sanguinis distendens abundantia, quae opportunas hysteriae reddit, minuenda est. Ad quod faciendum, nihil promptius ad animum adcurrit quam sanguinis detractio; quae, ubi plenus habitus periculum minatur, necessaria est. Eadem adeo tamen non futurae abundantiae occurrit, ut e contrario augeat. Itaque, cum unaquaeque detractio novam abundantiam creet, quantum assidua

detractio

detractio eam et inde pendentem morbum auctura sit, satis est apertum. Et quoniam sanguinis missio sola morbum facere, vel, si multum immodica erat, corpus exhaurire, quae altera morbi origo est, supra monstrabatur, ea, nisi in extrema necessitate ad habitum attenuandum, ne adhibeatur. Ergo altero utendum erit auxilio.

Id tenuis victus et exercitatio est, quae ad habitum attenuandum ante omnia possunt. Quod et experientia et causarum morbi ratio confirmat; quippe enim nihil magis hysteriam inferre, quam uberior laute viventium victus periclitatur. Quae quidem res plerorumque medicorum erroris me admonet, qui certam hysteriae formam tenui victu laedi videntes, et parum inter quamvis hysteriae speciem et hypochondriasin distinguentes, ideo eum victum omni hysteriae nocere, crediderunt.

Prodest sane, et utilissimus est cuivis hysteriae, tenuis victus. Sed ea species cui is parum accommodatur, non est hysteria omnino. Hysteria fuit, nunc in hypochondriasis specierum unam, post longam moram jamque tempus hysteriae dicatum excedens, mutata, et cui deinde plenioris cibi tensio, ut cuilibet hypo-

chondriaſi, requiritur. Porro, victus aceſcens, qui hypochondriacis veneno eſt, feliciter ſaepe hyſteriam tollit. Verum, licet hoc praeceptum prope perpetuum ſit, tamen, ut in omni alia, ita in hac re, omnis ſubita mutatio nocet. Carni enim et vino aſſuetis ſubito in tenuem aut aceſcentem victus mutatus, hyſteriam ultro facit; cui exceptioni adjiciendum eſt, quo propius ad tempus hypochondriaſis hyſteria accedit, cum eo plus hujus morbi periculum ſit, eo plus cibis et potionibus, pro rata parte plenioribus, eſſe indulgendum. Praeterque hoc, ubi morbus a corpore humoribus exhauſto fuit, plenior victus conſueto hyſteriam ſummovet *.

Exercitatio vero, cui plurimum in omnibus luxurioſorum et quietiorum morbis confido, hic quoque pro utiliſſimo remedio habenda eſt. Cujus utique modus viribus et ſenſibilitati periclitantium eſt accommodandus; cujus rei rationem, praeterquam quod communis pleriſque morbis eſt, in hac ſpeciatim poſtea monſtrabo.

Jamque ad tertium conſilium perventum eſt, ſcilicet, ut errantes nervoſi motus corrigantur. Hoc in duas partes porro ſe diducit;

* Cull. prael.

cit; priorem, ut mobilitas tollatur; posteriorem, ut debitus tonus firmis restituatur.

Hae duae partes esse idem, sed sine causa, creditae sunt. Certe aliud est tollere mobilitatem, seu auctam sensibilitatem et irritabilitatem, in oscillationibus nervosis nimis per nervos, cerebrum, et musculos, qua ea inter se pervia sunt, citatis consistentes; aliud easdem oscillationes ita in musculos derivare, ut illic manentes tensionem parti impertiant, et vi quadam illi simili quae in mechanica tensione constant agant. Quae vis insita est, et licet a cerebri vi pendeat, tamen aliquandiu sine ea superstes esse potest *. Porro, remedia quae mobilitatem recta imminuunt in ipsum aethera nervosum, intactis firmis, quasi passive agere; contra, quae eandem imminuunt, vim tonicam augendo, in extremos nervos ita affectos, ut aethera afficiant, vim aliquam activam exercere videntur.

Priori parti certa animi affectuum administratio et frigus admotum respondent.

Nihil magis mobilitatem infert quam animi affectionum impetus. Aliarum vis eandem

* Vid. G. R. Brown, disput. de calore anim. p. 27. et 28.; et Cull. de tensione et de vi insita.

dem repreſſam ſedat. Ergo ut priores cavendae ſunt, quod in primo conſilio jam ante, ut et qua ratione fieri debeat, monſtratum; ita poſteriores quaerendae. Quod utique illo haud facilius eſt. Verum, ex omnibus reprimentibus affectionibus, metus maxime efficax reperitur. Cujus utique opus eſt ambiguum; cum aliquando etiam irritabilitatem et forſan ſenſibilitatem augendo, haud dubie mobilitatem igitur augeat. Itaque, metu injecto, alii ab actione reprimuntur; alii excitati ad repellendum periculum aut noxam ultro ruunt. Quin et diverſus ejuſdem modus pariter diverſe in iiſdem hominibus agit; ſic timidi ante praelium commiſſum metu torpeſcunt; in extremum periculum et actionis neceſſitatem devoluti, atque injecto terrore efferati, ſupra fidem reſiſtunt. Ergo, cum hoc remedium effectui adeo difficile accommodetur, raro in medentis manu erit id ad ſententiam adhibere. Idem, ubi caſu ſit, et effectui aptum, cum adverſus alios morbos tum hyſteriam potentiſſimum reperitur. Sed in re praeſente, praeter modum metus, ita mora requiritur. Siquidem ſubitus metus, inter alias animi perturbationes, haud levis hyſteriae cauſa excitans nota eſt; paulatim autem adveniens et aliquantum

quantum temporis permanens, ut hypochondriaſin facit, ita valide hyſteriam repellit. Igitur, proximo civili bello quod pro exule Principe geſtum eſt, alterarum partium hyſtericae urgente metu a morbo liberae permanſerunt. Pari ratione, doloris aut luctus diuturnioris vis eaſdem afficit. Ita calamitas domeſtica, cujus primus ictus paulo patientius tolerata ſit, ſed diutius animum deinde repreſſerit, hyſtericis ſaluti fuit. Sed et haec quoque hypochondriaſis cauſa eſt.

Porro, frigus ad corpus adſpirans, et eam tenſionem quae mobilitati reſiſtendae aptatur addens, ad morbo occurrendum plurimum valet. Frigus, ut alia ita noſtra firma, aliqua ex parte denſat. Cujus utique temperies cum altius in corpus non deſcendat; ideo, id latius denſando, multum proficere nequit. Poteſt leviter fibras ſimplices in ſumma cute ſic firmare, ſed neque quae inferiores ſunt, neque vivas hac actione juvare. Ejuſdem ſtimulum haud paulo eſſe efficaciorem, manuum nivi immerſarum prius rubedo, deinde calor, ſanguinem excitari ſignificans, oſtendit. Ejuſdem proprietatis et alia nec pauca documento ſunt. Is igitur ſtimulus vim tonicam augere, ideoque mobilita-

tem

tem delere videtur; cumque idem fibris intra ejus actionem jacentibus contractilitatem addat, haec ad totum corpus pervenire et totum ſic roborari poteſt. Sed quatenus pro tonico agit frigus, alius loci eſt, ad quem mox pervenietur. Verum etiam veriſimile eſt, vim ſeu oſcillationes aethereas recta per frigus quoque imminui. Dubium enim non eſt, quin certo modo eas non ſolum imminuat ſed prorſus deleat. Sed ſola quaeſtio eſt, iſne frigoris modus, qui medicinae cauſa adhibetur, aliqua etiam ex parte idem faciat. Hoc ſine controverſia eſt, hyſteriam propriam, ſcilicet ab hac mobilitate pendentem, in frigidis rarius quam calidis regionibus incidere. Sed illud ipſum coeli frigus, ubi, ut in Britannia, rarior morbus eſt, non tantum eſt ut pro ſtimulo agat. Agit igitur, ſi recte judico, morando et mobilitatem recta imminuendo. Utut hoc ſe habeat, aër frigidus haud futile hyſteriae eſt remedium. Cum idem lavationis frigidae forma eodem conſilio adhibetur, CULLENUS aliquot horarum in aqua moram ſuadet. Qui praeterea incredibile tempus, quo PEAUMIUS quidam permanendum in frigida praecipit, nempe viginti horas, licet neque credere

neque

neque negare tantum miraculum publice et in magnis urbibus factum, poſſit; experiendum, aliqua ex parte in hyſteriae curatione, ipſe propriae opinioni addit *.

Ut ad noviſſimi conſilii, errantes nervoſos motus corrigendi, alteram et noviſſimam partem procedam, et quibus remediis amiſſus firmis tonus reſtituti debeat exponam: Ea ad tria capita, ſcilicet metallorum, ſalium, et plantarum, quae tonicae vulgo dicuntur, redeunt. Quae medicamenta diverſis inter ſe proprietatibus ſunt. Ideoque hic monendum, licet hactenus conſilia et rationes noſtrae ſatis uſui concordent, et exempli ergo mobilitatem tollentia eam proprietatem recta poſſideant; tamen tonica, de quibus nunc acturus ſum, licet omnia fere hoc nomen ſortita ſint, et ad tonum reſtituendum omnia quodammodo pertineant; tamen alia aliter agere, et ut nonnulla protinus aut proprie, ita quaedam paulo diverſa aut ignota vi, ſed eventu tonum corrigere. Profecto ars noſtra praeclara ad divinam ſcientiam accederet, ſi tam corporum noſtrorum, quam remediorum, ratio ita explorata eſſet, ut cognita haec in pariter cognitum illorum ſtatum

* Cull. prael.

tum agerent; neque unquam ad diviſiones empyricas, quas caeca conſuetudo et experimentorum incerta fides regat, decurrendum eſſet, ſed luculentis animi conſiliis utendi copia fieret. Quae felicitas, ſi minus nobis contigit, non ſequitur rationalem hanc viam, quatenus nota eſt, non eſſe ſequendam, et experimentis nulla rationis luce illuſtratis, et hoc ipſo nomine ſuos ſaepe imitatores fallentibus, inſiſtendum. Sane coeleſtis aurae particula animo humano ratio non fruſtra Divinitus inſita eſt. Cujus exercitatio, modo ne abutamur caveatur, artium inventrix et fuit ſemper et futura eſt. Quod ſi non omnibus, ſi perpaucis datum eſt, utilia vitae invenire; tamen plurium labor non fruſtra eſt, ubi unus aut alter voti compos metam optatam contingit. Sic enim caeteri qui inveſtigabant, ii ipſi qui nihil inveſtigandum, quaſi natura incomprehenſibilis eſſet, contendunt, et genus adeo humanum, inventi fructum capiunt. Ac, ne ad eos quidem qui non id quod anquirunt ſemper reperiunt, non aliquid commodi pervenit, ſiquidem mentis cultura, licet nova non adſequatur, nota certiora reddit et vitae uſibus magis accommodat. Quod dictum ut

ad

ad artem et propoſitum noſtrum deducam, magna mihi copia dicendi eſt qui medici rationalem diſciplinam colendo ipſa experimenta in clariore lucis monumento poſuerint; cum ab antiquis empyricis, qui nihil arti, niſi quod aliunde acceperant, addiderunt, ad praeſentes praeſtigiatores nihil, niſi caeco caſu, idque et rarum et temerarium et vel damnoſum vel inutile, donec rationaliter ab aliis viris excoleretur, repertum ſit; niſi ea res longius me ab incepto raperet. Hoc ſolum condiſcipulorum meorum cauſa dixiſſe ero contentus; quoniam maximus vir CULLENUS, eadem via de qua loquor, omnes medicinae partes per aliquot annos ſuperiores cum ſummo ſucceſſu et excoluit, et nunc etiam vel maxime excolit; ſimul reliqui florentis academiae Doctores, pro virili parte et ſummo bono publico, concordibus animis, et fama perenni digni, propoſitum exemplum egregia quiſque ratione certatim ſequuntur, praeſentia bona ſtudioſis arripienda eſſe, et quantum quiſque ingenio eniti potuerit, in commoda humana olim convertenda. Atque utinam vel valetudo, vel ingenium quibus infirmis utor, vel etiam tempus me ſineret, partes hujus morbi ſcitu digniſſimi quas jam percurri recudere, aut eam quae re-

ſtat omnium difficillimam accuratius exponere, ut tandem viro de quo retuli, et cujus a praelectionibus optimam partem hujus operis accepi, id dignum in lucem prodiret. Verum imprimis doleo, quod quo tempore ſummus me penſi labor et maxima perficiendi cupiditas inceſſit, partim ſerum ſcribendi conſilium, partim longitudo in quam jam ante delapſus ſum, ideoque temporis exiguitas, ejus rei copiam mihi praeripuerunt; quem per digna atque indigna feſtinantem praelum vacuum, impreſſor importunus, operae latrantes, dies publicandi inſtans, qui per academiae leges neceſſario eſt ſervandus, denique omnia ad finem omni hora revocant. Quod ut, qua datur, facere coner, et de medicamentis tonicis dictis loquar;

METALLICA, quae primum materiem dividens memoravi, praeter ferrea, ſtannum, plumbum, et cuprum, nulla uſurpantur.

FERREA variis formis ſed eodem forſitan opere parata ſunt. Ea ab exquiſita et propria hyſteria aliena aut incerta reperiuntur. Saltem, ſi adhibenda videbuntur, neque magna copia neque ſaepius data conveniunt. Eadem chlorotice hyſtericis magna copia data conveniunt.

STANNUM

Stannum in epilepsia et hysteria magno usui esse, chemici olim praedicarunt. Qui cum nusquam mihi nunc in usu esse reperiatur, omittendus de ea sermo est.

Plumbum varie paratum et adstringere et tonicum esse notum est, et mobilitatem usque adeo imminuit, ut narcoticum nominatum sit. Cujus in epilepsia et hysteria usus, ignotus adhuc, inquirendus videtur.

Cuprum, quod multo saepius adhibetur, difficile administratur; quia vel minima copia intus accepta ventriculum stimulat; qui stimulus, quo minus tantum ejus assumatur, quantum vim tonicam edat, adsolet prohibere.

Salina tonica sunt acida, alkalina, et neutra, nunquam sola, sed cum metallis composita, usurpata. Quorum ad usum quod in nervosis morbis attinet, ex cupro metallo confectam formam Van Sweitenius vidit, quae epilepticis sine ventriculi irritatione prodesset. Qualis vero ea esset, neque eum nec nos novisse eo magis dolendum est, quod talis cupri forma multum desideratur. Verum ejus sic naturam explicamus: Metallica tanto magis actuosa sunt, quanto plus rerum salinarum cum iis conjunctum est; salibus simplicibus cum iis conjunctis potentiora quam neutris fiunt. Cullenus neutrum cum cupro con-

conjunctum, et potiſſimum ammoniacum quod reliquis neutris illud melius diſſolvit, vario cum ſucceſſu ita adhibuit, ut, de effectu medicinae certior fieri ſperans, eam experiri non deſiſtat.

Plantae tonicae, quas ordine proximas adnotavi, adſtringentia et antiſpaſmodica ſunt; poſt quae exercitationem memorabo.

Adstringentia ſimplicia ancipite actione ſunt; incertumque eſt, firmorum contractionem, atque ita tenſionem augeant, an corporis mobilitatem imminuant. Forſitan utraque ratione agunt. Utut hoc ſit, dubium non eſt quin adſtringentia hyſtericis aliquando, ſaepius epilepticis, profuerint. E quibus viſcus quernus multis laudibus, nec ſine ſuperſtitione, elatus eſt. Is epilepſiae tamen haud paulo, quam hyſteriae, accommodatior eſt; huic autem, niſi cum epilepſia conjunctae, Cullenus noſter vix reſpondere vidit. Cujus tamen, ut et multorum aliorum remediorum uſus, ideo nobis obſcurior eſt, quia ad agendum quam noſtra patientia facile ferat plus temporis requirunt, et majori copia, quam pro noſtra conſuetudine, danda ſunt.

Quibus utique haud paulo utiliora ſunt adſtringentia amara, ſiquidem in ipſum recta ventriculum

ventriculum agunt. Neque, quin tonica ſint, dubitandi locus erit. Verum haec ipſa eorum actio ventriculum adficiens, ut iis ſpeciebus quae in canali alimentario ſedent, imprimis uſui eſt; ita, an hyſteriae propriae pariter reſpondeat, incertum eſt. Certe, ſi ei profutura eſt tonica horum medicamentorum actio, magna copia danda ſunt; aliter, eorum effecta latius ad corpus perventura, vix eſt ſperandum. Idem in hypochondriaca ſpecie, quae hyſterica dicitur, ſummam opem adfert. Nuper, pro amaris et adſtringentibus ſeorſim adhibitis, utrorumque virtus in uno medicamento conjuncta adhibetur. Id cortex Peruvianus eſt adverſus febres intermittentes certiſſimum auxilium. Idem epilepticis prodeſt, dummodo duas conditiones, ſine quibus inutilis prorſus eſt, ſervemus, et protinus ante acceſſionem et magna copia demus. Verum, ut id in epilepſia aliquando fieri poteſt, ſcilicet ubi illius circuitus certi ſunt; ita raro in hyſteria, quae raro certos circuitus ſervat, fructum ejus percipimus.

Aromatica praeſentes ſpaſmos, quales illi canalis alimentarii ſunt, potenter et utiliter componunt. An vero futuris etiam occurrant, Cullenus noſter addubitat. Ea proxime ad anti-

antiſpaſmodicorum naturam accedunt; de quibus deinceps loquar.

ANTISPASMODICA duplici virtute, ſtimulatrice et ſedatrice, praedita ſunt. Quam utramque, et ſeorſim et in his medicamentis conjunctam, idem vir, cujus toties opiniones huic diſputationi accommodavi, fuſius et elegantius explicavit. Quam explicationem huc inſerere, longitudo operis et praeſens feſtinatio prohibent. Neque amplius addo, quam antiſpaſmodicorum effecta tonica eſſe habenda. Eorum potentiſſima ſunt camphora et moſchus. E quibus camphorae exiguum datum nihil agit; multum, cum periculo datur. CULLENUS ejus grana xx vel xxx, ſaepe per complures dies continuos, drachmas dimidias quotidie, ſine fructu dedit; cum duo ſcrupuli tamen vitam in periculum adducant. Anceps igitur id remedium eſt, cujus virtus medicatrix ad venenatricem adeo eſt vicina. Perpauci ſane ſunt ita ſive felices ſive audaces, ut ejus uſum experiantur.

MOSCHUS magna copia datus neutiquam id periculi habet; cujus tamen virtutem, utut efficacem, pauci in precioſo medicamento experiuntur.

OMNI-

Omnibus vero antiſpaſmodicis commune eſt, ut, niſi in ipſa acceſſione aut quam proxime eam dentur, valide non agant. Cujus ratio in promptu eſt; ſcilicet eorum non diuturna effecta ſunt. Alia ratio haec eſt; virtus ſtimulans, quam maxime cupimus, non ſolum brevis eſt, ſed jam exacta, ſedantem et irritantem effectum, teſtante Culleno, relinquit. Quam rem opium, antiſpaſmodicorum potentiſſimum, luculenter illuſtrat. Cujus uſus in hyſteria multum controvertitur. Neque dubium tamen eſt, quin adverſus omnes praeſentes et fixos ſpaſmos, ſive ii in canali alimentario, ut cholici, ſive in muſculis, ut tetanum facientes, ſedent, admodum ſit efficax: An vero adverſus acceſſiones ſpaſmodicas ſubinde repetentes longas et mobiles, quales hyſtericae canalis alimentarii acceſſiones ſunt, aut varias muſculorum agitationes quae in convulſivis malis fiunt, pariter etiam valeat, in controverſia quam dixi eſt. Profecto, ob rationem ſupra memoratam, quid adverſus hyſteriae acceſſiones valeat opium neſcitur; quia incertus morbi reditus eam nobis copiam praeripere ſolet. Idem aliquo ab acceſſione intervallo datum nocere certum eſt. Conſtrictionem enim vaſorum opium adimit,

mit, et ſanguini ſe expandendi copiam praebet. Quae ſanguinis expanſio, ipſe plenus habitus, hyſteriae origo, eſt. Firmorum vero conſtrictio adempta, ipſum mobilitatis huic morbo noxiae fundamentum, eſt. Ex quibus omnibus diſci poteſt, quo modo praeſentes ſpaſmos opium tollat, et quo modo, ea actione ſublata, corpus multo irritabilius relinquat.

Ad ſupra dicta adtexendum eſt, inter tonica et antiſpaſmodica exercitationem praecipuam eſſe. Ea paulatim firma roborat, ſanguinem citat, et praecipue ad extrema vaſa eum dirigit. Cujus tamen adverſus nonnullas cautio quaedam eſt. Nam nonnullae adeo tenerae, adeo irritabiles ſunt, ut e leviſſimis momentis in graviſſimas turbas, ſyncopen et ſimilia mala, incidant. Huic caſui exercitatio quam leniſſima, omnibus diuturna, convenit. Variis autem exercitationis generibus geſtationis genera anteponenda ſunt. Rurſuſque ex his ipſis Cullenus navigationem prae caeteris laudat.

Finito tandem hoc opere, Praeceptoribus meis, quos per quatuor annos ſumma cum voluptate, et quantum in illis fuit, ſummo etiam

etiam fructu audivi, traditae disciplinae medendi gratias ago. CULLENO autem, cujus etiam ingeniosa praecepta per difficillimi morbi et multis scriptorum erroribus obscurati arduos tractus, quasi lux praelata, vestigia mihi rexerunt: Item GREGORIO, cujus observationes fidae, nec ab usu artis usquam deerrantes, ad studiorum finem usque oculos meos converterunt: Summo utrique viro, literarumque et artium decori, tantorum beneficiorum memorem animum promitto.

FINIS.